



# The Holy See

---

**LITTERAE SSMI D. N. LEONIS XIII  
AD ABBATEM SOLESMENSEM, QUIBUS LAUDAT  
ET EXCITAT STUDIA ET PUBLICATIONES QUOAD  
CANTUM GREGORIANUM PERACTAS  
A VIRIS RELIGIOSIS ORDINIS BENEDICTINI\***

*Dilecto Filio Religioso Viro Paulo Delatte  
O. S. B. Abbati Solesmensi*

*Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.*

Nos quidem et novimus et alias laudavimus positam a vobis intelligenter operam in scientia eorum concentuum sacrorum, de quibus memoriae est proditum, ad magnum Gregorium referendos esse auctorem.

Similique ratione non potest Nobis non probari vester ille in conquirendis vulgandisque veteribus de eo genere monumentis tam operose tamque constanter insumptus labor. Quorum laborum fructus varios videmus iis consignatos voluminibus nec sane paucis, quae nobis grato admodum munere diversis temporibus misistis, quaeque late iam, ut accepimus, in luce atque oculis hominum versantur, ac multifariam quotidiano recipiuntur usu. Omnino quidquid suscipitur studii in hac illustranda augendaque rituum sanctissimorum comite atque adiutrice disciplina, dandum laudi est, non solum propter ingenium et industriam, sed etiam, quod longe maius, propter speratum divini cultus incrementum. Siquidem gregoriani concentus prudentissime sunt sapientissimeque ad illuminandum verborum sententias inventi, atque inest in eis, si modo adhibeantur perite, magna vis et mirifica quaedam mixta gravitati suavitas, quae facile illapsa audientium in animos pios ciere motus cogitationesque salutare alere tempestive queat. Quotquot igitur sunt, praesertim ex alterutro ordine Cleri, qui se posse aliquid in hac vel scientia vel arte sentiant, pro sua quemque facultate elaborare omnes convenit sollerter et libere. Salva quippe caritate mutua et ea, quae debetur Ecclesiae obtemperacione ac reverentia, multum prodesse multorum in eadem re studia

possunt, ut vestra ad hanc diem.

Divinorum munerum auspicem, itemque paternae benevolentiae Nostrae testem tibi, dilecte fili, sodalibusque tuis apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

*Datum Romae apud S. Petrum, die 17 Maii anno 1901. Pontificatus Nostri vicesimo quarto.*

**LEO PP. XIII**

---

\*ASS, vol. XXXIII (1900-1901), pp. 642-643.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana